B. N. C.
FIRENZE
1043
14

Digitized by Google

Ricc. 1043.4

Digitized by Google

A I

ORATIO

DE

MYSTERIO TRINITATIS

HABITA

A

M. IOH. PAULO COMMERELLIO

CONSILIARIO ECCLESIASTICO BADA - DURLACENSI

ET ECCLESIARUM PASTORE.

BIBLIOTECA NAZIONALE
1872

CAROLSRUHAE

TYPIS ET SUMTIBUS MICHAELIS MAKLOT

BIBLIOPOLAE AULICI BADA - DURLAC.

MDCCLXVI.

Digitized by Google

1043 · 14

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMI!
SUIS QUISQUE TITULIS AUDITORES
CONDECORATISSIMI!

Verba myſterio Trinitatis accommodaturi arduum certe opus conamur. Diſpaleſcit Gravitas ex Varietate Methodorum hanc Materiam tractandi vetuſtate tritarum. Provolant Romano-Catholici ad Traditiones. Quid promovent? Num Traditiones ſunt fulcra Auctoritatis Sacræ Scripturæ? *Num ſecuris gloriabitur contra eum, qui ſecat in ea?* Num fundamentum vilius eſt ſuperſtructo? Philoſophi chriſtianizantes ex Ratione aliquid ſubſidii petere volunt. Quid agunt? Multa impervia rationi deprehendunt, & is, qui eſt recto pectore, demonſtrat experimentis: Deum, ut trinum, eſſe objectum ſolius Revelationis.

Digitized by Google

Theologi eruditiſſimi Methodum pure - exegeticam probarunt tutiſſimam eſſe, ubi ſcilicet remotis omnibus Terminis Scholaſticis id tantum aſſeritur, quod in Sacra Scriptura nobis eſt revelatum. Et ſine dubio nunquam lites infinitæ ortæ fuiſſent, niſi Via hæc Regia eſſet relicta.

At ſecundum nos præſtat inter chriſtianos Methodus practica à neceſſitate ad exiſtentiam concludens. Unitas eſſentiæ divinæ optime probatur ex eo medio Termino, quia unicum Ens perfectiſſimum ſufficit, alterum abeſſe poteſt, ut non neceſſarium, ergo non Deus. Philoſophi ſibimet ipſis relicti loquuntur de Homine in mero ſtatu naturali, uti infantes clauſis oculis ſimulant inviſibilitatem. Homini ſincere cogitanti Idea peccatoris non rogata occurrit. Mente conſtans peccator acri & intento animo intuetur neceſſitatem Redemptoris & Sanctificatoris, & nil majus ipſi eſt in votis, quam exiſtentia ipſorum realis. Hanc ſuffultam eſſe Longanimitate vel patientia, Vaſa iræ certe non ſine cauſa ſuſtinente, probare auſus concludit: Ergo datur uterque & Redemptor & Sanctificator. Peccatores vivunt, ergo Deus conſervando poſſibilitatem reductionis ad ſalutem declarat, ut homo in

caſu

caſu manifeſti defectus virium propriarum Viis divinis, á quarum notitia & intelligentia totus alienus eſt, obviam ire cogatur. Sine redemptione & ſanctificatione exiſtentia hominis in ſtatu lapſus eſt pœna, non beneficium, non obſtante affectata oratione ſtoicorum. His autem ſuppoſitis pateat via neceſſe eſt ad beatitudinem acquirendam. Pauper ſpiritu intelligit vim hujus argumenti, nunquam philoſophus gravi atque intolerabili arrogantia intumeſcens.

Interim fatemur, confluxum harum Methodorum tractandi Materiam de myſterio Trinitatis non eſſe ſpernendum. Non, ut unaquæque ad probandum ſatis idonea habeatur, ſed ut altera alteram illuſtret, & e. g. in probanda αὐθεντίᾳ dictorum & refellendis argumentis antitrinitariorum á contradictione deſumtis ſua quæcunque contribuat. Sequentia autem demonſtrabunt, modeſtiam plurimorum Theologorum nimiam fuiſſe in attentione ad illud Scholaſticum: Periculoſum eſt, de Deo etiam vera dicere.

Procedamus vero ordine ſequenti, auxiliante SacroSancta Trinitate, ut

Digitized by Google

Primo, noſtram Sententiam de myſterio Trinitatis, argumentis munitam, explicaturi

Secundo, Præeminentiam Patris, ſtante coæqualitate filii, & ratiociniis & Vindiciis dictorum, ex Novo Teſtamento petitorum, demonſtraturi, ad dicta Veteris Teſtamenti, omni exceptione majora, attamen in ſequentibus ad evitandam recoctionem proponenda, provocaturi, ubi

Tertio, veram Filii & Spiritus Sancti Deitatem probaturi & ad objectiones adverſariorum reſponſuri,

Quarto, Practicam Quæſtionem de credendo vel non credendo hunc articulum ſoluturi,

Quinto, in memoriam anni ineuntis pia vota enunciaturi & fauſta quævis à Deo Trino ſimus expetituri.

Ad primum.

Infinita & incircumſcripta eſt eſſentia Dei, at non indefinita & indiſtincta. Poteſt definiri definitione logica, quæ non infert finitudinem, ſed eſſentiam tantum diſtinguit, non limitat. Eſſentialiter differt Creator ab omni creatura in omni reſpectu poſſibili conſideratus. Noſtræ diſtinctiones inter eſſentiam & attributa fundatæ ſunt in noſtra imperfectione

ne, quia Deum ſimul conſiderare non poſſumus. In Deo enim omnia ſunt Unicum. Nec diviſibilitas nec ulla ſucceſſio vel cogitationum vel actionum quadrat in Deum, quia eſt Ens infinitum, & finitudo rerum determinat earum ſucceſſionem. Intellectus divinus non concipit futura & præterita ut præſentia, ſed uti ſunt, futura ut futura, præterita ut præterita, præſentia ut præſentia. Concipit res, prout ſunt rationes exiſtentiæ aliarum, concipit alias, prout habent rationes ſuæ determinationis in aliis; & ita concipit omnia ſuo ordine, & tamen ſimul & ſine ſucceſſione. Actiones Dei, quatenus terminantur in creaturis, ſunt ſucceſſivæ, in Deo ſunt ſimultaneæ, qnamvis ordinatæ. Aeternitas Dei continet omnia Tempora, ſed nullo Tempore continetur. Exiſtit Deus & exiſtit mundus, ſed non ſimul; i. e. non continentur eadem ſerie ſucceſſiva. Alio enim modo Deus exiſtit, non durat, ſed EST. Quomodo autem eſſentia divina ab omnibus aliis eſſentiis ſic eſſentialiter diſtincta exiſtat, permanet Myſterium omnibus ſpiritibus finitis, quibus omnes eſſentiæ rerum ſunt myſteria, imperſcrutabile, & omni hæſitationis ratione deſtituta eſt applicatio illius Scholaſtici: Finitum non eſt capax infiniti. Creator

Digitized by Google

Creator ab omni creatura eſſentialiter differens etiam in modo ſubſtendi eſſentialiter differat neceſſe eſt. Natura & ſubſiſtentia naturæ conſtituunt perſonam. Entia creata exiſtunt ſingulatim, & ubicunque natura humana ſubſiſtit, ibi eſt perſona hominis, ut individuum, ab omnibus aliis hominibus ſeparatum. Modus ſubſiſtendi in divina natura ut alius ſit, eſſentialis differentia naturarum poſcit. Fœcunditas vel exuberantia divinæ naturæ non involvit contradictionem; exiſtentia autem ejusdem ſine ulla activitate credi nequit. Multiplicari divina natura non poteſt, quia eſt infinita, & infinitum ſua natura incapax eſt multiplicationis. Si ergo adſunt plures perſonæ in Deitate, unicus tantum ſunt Deus, quia aliás modus ſubſiſtendi in Deitate idem eſſet cum modo ſubſiſtendi apud homines, apud infinitum, uti apud finitum, quod eſt contradictio. Maximi æſtimamus verba Es. LXVI, 9. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non generarem, dicit Jehovah, num ego, qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait Deus tuus.* Nemo negat, de facillima emiſſione fœtus Zionis in ultima ætate eſſe ſermonem. Simile autem certe hic deſumitur à natura divina, & applicatur in regno gratiæ ad

exten-

Digitized by Google

extenſionem eccleſiæ in omni terra per aſſiſtentiam ipſius Dei facillime promovendam. At ſimilia in Sacra Scriptura non ſuffulta ſunt mendaciis vel imaginibus fictitiis, ſed relationibus ſuâ naturâ veris. Quis ergo in dubium vocabit confeſſionem Dei publicam de Generatione ab æterno.

Certum eſt, Lapides nos locuturos fore, ſi diceremus: Naturam divinam eſſe compoſitam ex tribus perſonis. Perſonæ divinæ, ſi comparantur inter ſe ſecundum characteres ſuos abſtrahendo ab eſſentia, non introducunt compoſitionem, nam hoc reſpectu non ſunt Unum. Si naturam & eſſentiam ſpectamus, iterum non introducunt compoſitionem, quia ratione eſſentiæ non ſunt aliquid diſtinctum; ad compoſitionem autem requiritur Unitio plurium diſtinctorum. Homo componitur ex anima & corpore. Perſonæ divinæ non poſſunt dici uniri, nam ſunt Unum.

Tres perſonæ humanæ ſunt tres homines: ſpecifice autem natura non differunt, nam unaquæque perſona eſt Homo; ſed numero ſunt tres homines. Tres perſonæ in Deitate non ſunt tres Dii, eſſentia enim & natura etiam numero non differunt, quæ nempe eſt omnibus communis & una. Si

autem eſſentiâ & naturâ infinite & eſſentialiter differt Ens increatum â creato, etiam modo ſubſiſtendi infinite & eſſentialiter diverſa eſſe poſſunt. Ergo eadem natura poteſt communicari & ſubſiſtere in tribus perſonis, ſecundum notiſſima effata Theologorum: ἄλλος καὶ ἄλλος, alius & alius, ὑποςατικῶς, perſonaliter, non ἄλλο καὶ ἄλλο, aliud & aliud, ὀυσιωδῶς, eſſentialiter. Eſſentiæ divinæ ἑνότητα, potentiæque agendi κοινότητα ſequitur operum Ταυτότης. Totum, Totum, Totúm, ſunt tria Tota; ſed ſaltem numero. Totum enim totius eſt ipſum Totum. Sic ſubſiſtit Unitas in Trinitate. At quomodo efficiatur hæc ſubſiſtentia Trinitatis, eſt myſterium angelis impenetrabile, in quod nec Apoſtoli inquiſiverunt, quod nec ipſe filius Dei nobis explicare propter infirmitates noſtras potuit, quia ſuperat omnes expreſſiones linguarum & cœli & terræ.

Inſurgat Philoſophus, non ſciolus, ſed ſanioribus principiis imbutus contra hanc explicationem; demonſtret contradictionem in dogmate de Trinitate; neget eſſentialem differentiam inter eſſentiam Creatoris & creaturæ & diverſitatem modi ſubſiſtendi; affirmet, ſe naturam Dei cognoviſſe uti homi-

hominis; aliàs tribuetur ignorantiæ contradicentis, quod ille tribuit doctrinæ. Sine cognitione cauſæ nulla datur contradictio. Ego tres homines non eſſe unum hominem, at tres perſonas divinas eſſe unum Deum, non eſt contradictio.

Mittamus argumentum ab incomprehenſibilitate deſumtum per myſteria phyſica toto cœlo, imo infinite, diverſa ſatis ſuperque refutatum. Lubentius progrediamur ad aliud argumentum, quod ex fontibus nominum, officiorum & operum, tribus perſonis in Sacra Scriptura attributorum, hauſtum eſt.

Pater non poteſt dici pater ſui ipſius, ſed pater filii. Filius non poteſt dici filius ſui ipſius, ſed filius patris. De Spiritu Sancto non poteſt dici, quod procedat à ſeipſo, vel hoc ſenſu ſit ſpiritus ſui ipſius, ſed ſpiritus patris & filii, à quibus procedit. Sic ex ſolis nominibus apparet, unamquamque perſonam peculiari modo ſubſiſtere, & realiter diſtinctam eſſe ab altera.

Non inficias imus, hæc nomina in Trinitate non videri proprie & naturaliter, ſed quaſi metaphorice intelligenda eſſe. At reſpondemus: Nomina patris & filii ad Deum appli-

cata poſſunt quodam modo dici metaphorica; ſumta enim ſunt â rebus, quæ habent analogiam in creaturis. Sed ideo tamen pater eſt pater in ſummo & perfectiſſimo ſenſu, & filius eſt filius proprio, naturali & genuino ſenſu. Divina autem generatio tam perfecte communicat eſſentiam & naturam patris filio, ut humanæ generationes tantum obſcuræ & imperfectæ imagines & repræſentationes vocari poſſint. Quicquid dicitur de Deo metaphorice, illius metaphora & imago ſemper eſt in creaturis, veritas autem, perfectio & realitas omnium ſemper in Deo. Ex hoc fundamento filius ab æterno genitus ſupponit patrem multo & infinite propriori & perfectiori modo eſſe patrem, & filium infinite propriori & perfectiori modo eſſe filium, quam omnes patres & filii in omni terra dici poſſunt. Poſito ergo, patrem & filium eſſe revera & perfectiſſime patrem & filium, ſequitur, eſſe duo vere & perfecte diſtincta entia, quia pater non poteſt eſſe filius, quem generat, & filius non poteſt eſſe pater, qui generat eum; nec Spiritus Sanctus vel pater, vel filius, â quibus nempe procedit. Ergo dantur diſtinctæ, reales & propriæ perſonæ in Deitate.

Dinſtinctio autem perſonarum quoad officia & operationes

tiones eſt in aprico. Patri tribuitur creatio, filio redemptio, Spiritui Sancto ſanctificatio. Pater dicitur eligere, filius proprium ſanguinem fundere, & Spiritus Sanctus ſanctificare, imo ſignare in diem redemptionis. Quatenus ergo diverſitate nominum, officiorum & operationum unum Ens ab altero diſtinguitur, eatenus ſubſiſtit diſtinctio perſonarum in Deitate, ſalva ſimplicitate eſſentiæ ſumma omnibus ſpiritibus creatis oppoſita.

Breviſſimis dicta quædam demonſtrantia proferamus, auditores ad evolvenda compendia atque ſyſtemata ablegaturi. *a*) Maximi habuerunt Veteres locum Matth. III, 16. 17. Arianos provocare ſoliti: *Abi ad Jordanem, & videbis Trinitatem.* Tria diſtincta nomina, Patris, Filii & Spiritus Sancti; tria diſtincta ſuppoſitalia realiter diviſa ſymbola, Vox Patris, caro baptizata Filii, deſcenſus Spiritus Sancti; Tria etiam diſtincta beneficia adſunt conſpicua, miſſio filii, præſentatio filii liberrima ad munus mediatorium ſuſtinendum, unctio Sancti Spiritus ſine menſura; quæ omnia arguunt trinitatem perſonarum diſtinctarum. Ergo non inſtar Viſionis ad denotata, ſed ad denotantes perſonas in hoc loco attendendum eſt. *b*) In forma baptismali Matth. XXVIII, 19. tres differunt no-

minibus, & diſtinguuntur per ter præpoſitum articulum τῦ & bis interjectam conjunctionem καὶ. Ergo ſecundum principia critica & grammatica ſunt diſtinctæ perſonæ. Ὁμοουσία ſive coëxiſtentia probatur, quia baptizamur in nomen, non nomina. Vero Deo non jungitur res imperſonalis, neque creatura in eodem opere. Introitus in eccleſiam non dependet âb homine, nec homo eâdem auctoritate, quâ Deus, aliquid poteſt præcipere. In novo Teſtamento nullius valoris eſt objectio: Baptizari in alicujus nomen idem eſſe ac baptizari in alicujus religionem. Petrus Act. III, 6. ait claudo: *In nomine Jeſu ſurge & ambula.* Ergo, in Nomine, denotat auctoritatem & vires â Chriſto per Spiritum Sanctum ſuppeditatas. Ergo aliquando majus quid denotat, & hic inprimis, ubi baptiſmo in ſummum Deum adjungitur, quod certe non factum eſt in baptiſmo in Moſen, I. Corinth. X, 2. Deus & homines eadem auctoritate nunquam quid mandare poſſunt. *c*) Contra Eſ. VI, 3. ubi Deus ter ſanctus vocatur ab angelis, excipiunt Sociniani: Sæpe rem aliquam ter appellari, quæ tamen ſit una; uti Jerem. VII, 4. *Templum Jehovæ, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ hic eſt* At reſpondemus: Cum fervore

vore

vore affectuum profertur terna repetitio apud homines, & quodammodo tranſit in proverbium Hic autem loquuntur Seraphim linguam cœli, & Num. VI, 24 -- 26. ipſe Deus præcepit, ut ſacerdotes benedicant populo tribus vicibus & diverſis verbis in nomine Jehovah, quod ſoli Deo eſſentialiter competit. Denique hic locus expreſſe citatur, Joh. XII, 41. & applicatur ad Chriſtum. Commentarii loco legat exegeta vel unusquisque ſeria mente ſecum ponderaturus verba Eſ. XLVIII, 16. *Non à principio in abſcondito locutus ſum. Ex tempore, antequam fieret, ego ſum. Et nunc Dominus Jehovah miſit me & Spiritus ejus.* An dilucidius ſe éxpedire potuit ſpiritus Propheticus in Veteri Teſtamento? Nil habent, quod regerere poſſint adverſarii, quam mendacia: Textum in Johanne eſſe corruptum & loco αὐτȣ̃ in quibusdam codicibus legi Θεȣ̃. Tranſeat malitia poſthac pudore afficienda. *d*) Denique ad dictum palmarium provocamus, I. Joh. V, 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* Recitare hoc dictum idem eſt, ac explicare locum de Trinitate, & certe ſufficeret ad refellendos adverſarios, niſi id ſibi ſumſiſſent, ut αὐθεντίαν hujus dicti

dicti ſubruere tentarent. Negant illius vetuſtatem & ſtatuunt, irrepſiſſe in Textum ſine dubio per modum gloſſæ verſui octavo appoſitæ, quam alii dein Textui ipſi intulerint. Pias fraudes prævaluiſſe eo tempore, omnia eo ævo pro licitis fuiſſe habita, quæ contra Arianos aliquam vim habuerint; hinc tot ſcripta ſuppoſititia, tot manifeſtæ ſcriptorum antiquorum corruptiones. At malitioſe piis fraudibus chriſtianos maculare volunt adverſarii, cum eorum, quæ crediderat prima eccleſia, fraudulenta inſertione opus non erat, controverſia Arianorum nondum exiſtente, & quæ etiam poſita ex Canone remotione huius dicti membra eccleſiæ èx aliis clariſſimis locis ſatis ſuperque demonſtrare potuerunt, id quod facile perſpicitur ex unoquoque ſyſtematum noſtrorum. Teſtis veritatis articuli de Trinitate primi ſeculi fuit CLEMENS ROMANUS à BASILIO MAGNO citatus: Secundi ſeculi JUSTINUS MARTYR & ATHENAGORAS, qui poſterior in defenſionem chriſtianorum aſſerit: „ *Quis non miratur, eos vocari atheiſtas, qui agnoſcunt Deum patrem, Deum filium, & Deum Spiritum Sanctum, & demonſtrant ipſorum potentiam in Unione & diſtinctionem in ordine?* „ In ſeculo

tertio

tertio teſtes fuère Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Cyprianus. Imo duo poſteriores expreſſis verbis allegant hoc dictum, de quo eſt ſermo. Prior adverſus Praxean ait: „ *Qui tres unum ſunt, non unus; Quo-* „ *modo dictum eſt: Ego & pater unum ſumus: Ad ſubſtantiæ* „ *unitatem, non ad numeri ſingularitatem.* „ Cyprianus de unitate eccleſiæ aſſerit: „ *Dicit Dominus: Ego & pater unum* „ *ſumus; & iterum de Patre, Filio & Spiritu Sancto ſcriptum* „ *eſt: Et hi tres unum ſunt.* „ Athanasius uſus eſt hoc dicto ſummo fervore in Concilio Nicæno. Socrates in Hiſtoria Eccleſiaſtica affert rationem, cur in quibusdam copiis antiquis omiſſa ſit hujus dicti mentio: Chriſtianam eccleſiam maximas querimonias ſemper habuiſſe de corruptione epiſtolæ Johannis à primis adverſariis doctrinæ de Deitate Chriſti facta. Ecquis non videt, omiſſionem verſus facilius credi poſſe, quam inſertionem, quia negligentia deſcribentis pro objecto habuit duos verſus immediate ſuccedentes, & iisdem verbis, ſola particula excepta, ab initio ſonantes. Extruſio verſus ſeptimi mutilat verſum octavum, quia verba, ἐν τῇ γῇ, disjuncta & ſeparata proſtarent ſine ſenſu, cum verba, ἐν

τῷ οὐρανῷ, claram, elegantem, & invictiſſimam in ſacra ſcriptura fundatam antitheſin ab oculos ponant. Et hæc de *αὐθεντίᾳ* dicti Johannæi dixiſſe ſufficiant. Progrediamur

Ad ſecundum,

Præeminentiam patris ſtante coæqualitate filii & ratiociniis & vindiciis dictorum ex novo Teſtamento petitorum demonſtraturi, & ad dicta. Veteris Teſtamenti omni exceptione majora, attamen in ſequentibus ad evitandam recoctionem proponenda, provocaturi.

Præeminentia patris nititur fundamento perſonalitatis, non eſſentiæ, nec durationis. Veteres verba: *Pater me major eſt;* relative de generatione, non eſſentia intellexerunt. *Pater habet vitam à ſeipſo, & dedit filio habere vitam à ſeipſo,* Joh. V, 26. Ergo nulla eſt ſubordinatio naturæ & eſſentiæ, ſed tantum quoad actum perſonalem generationis, originem & relationem paternitatis & filiationis. Ex his rationibus pater dicitur origo, cauſa, Auctor, fons, caput omnium entium, etiam duarum perſonarum Filii & Spiritus Sancti, quia Deitas Filii & Spiritus Sancti eſt Deitas patris, eſt enim ab ipſo, ſtante tamen æqualitate & coæterna Majeſtate.

Filius

Filius ſine dubio eſt ab illo, quem vocamus patrem, ergo etiam natura filii. Nec creatus ex nihilo, nec ex materia præexiſtente, ſed ab æterno genitus. Ergo ejusdem naturæ & eſſentiæ. Ens ſimpliciſſimum communicat filio eſſentiam indiviſam; non enim habens partes non poteſt communicare partes, ſed Totum. Ergo communicat totum ſeipſum & eſt ſecundus Ipſe in filio. Hinc vocatur filius *ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ*, *ſplendor gloriæ & expreſſa imago* (à χαράσσω, excavo,) *perſonæ Dei*, i.e. ejusdem ſubſtantiæ & majeſtatis cum patre. Ob eandem rationem Chriſtus aſſerit, Joh. X, 30. *Ego & pater Unum ſumus.* Non unitatem conſenſus ſecundum mentem Socinianorum hic intelligi, ſed & æqualitatem ſummam ſine gradu, quia Verbum, Gradus, in Deum non quadrat, ex eo diſpaleſcit, quod non tantum Judæi ipſi ex his verbis concluſerint, Chriſtum ſeipſum facere Deum, ſed quod etiam Chriſtus adeò non hanc ipſorum ſententiam refutaverit, ut potius ulterius eandem in ſequentibus probaverit. Si enim Chriſtus revera Deus non eſſet, certe ſumma opera eripuiſſet animis Phariſæorum hanc opinionem, ut calumniam, imo blasphemiam, quâ majus cri-

men excogitari non potuiſſet, quam ſi ψιχὸς, tantilli, micæ, homo ſe Deum faciat. E contrario Chriſtus iterum Joh. V, 17 -- 23. omni ſtudio ſatagit Judæis oſtendere, ſe eſſe Deo æqualem, quo in ipſum crederent, inprimis verſ. 23. *Ut omnes honorent filium, ſicut honorificant patrem.* Socinianorum ſimile de honore Legati claudicat. Quamvis enim legatus in ſummo honore habeatur, tamen non in eodem, uti princeps, ſi adeſſet. Cæterum Majeſtas verborum hoc ſimili quam maxime enervaretur.

Sic quoque pernoteſcit coæqualitas filii & patris ex verbis ſalvatoris Joh. XVI, 15. *Omnia, quæ pater habet, mea ſunt.* Sociniani ajunt, Vocem, Omnia, fere nunquam ſumi univerſaliter, ut omnia omnino ſubjecta complectatur, ſed limitari fere ſemper à ſubſtrata materia. Afferunt exemplum ex Act. IV, 32. Ubi de Apoſtolis & primis Chriſtianis dicitur, *eos omnia habuiſſe inter ſe communia*, & tamen aperte mulieres eſſe eximendas. Quoniam omnia à patre per preces impetraverit Chriſtus, idcirco ea ſua dixiſſe, quæ in ſtatu exaltationis aliquando ipſi certó darentur. Si autem ſociniani inſpexiſſent Textum in nexu, ſine dubio vidiſſent, Chri-

ſtum

ſtum non ideo Spiritum Sanctum tantum promiſiſſe, quia nondum verſabatur in ſtatu exaltationis, ſed quia diſcipuli modo portare non poterant, quæ ipſis adhuc ſint dicenda; Spiritum Sanctum etiam non locuturum eſſe de ſe metipſo, ſed ut accipientem de eo filio, qui omnia habet, quæ patris ſunt. Ergo divina accipiet á patre & filio ſimul; quod Chriſtus rurſus confirmat Joh. XIV, 9. *Qui videt me, videt patrem;* & verſu 11. *Ego in patre & pater in me eſt.* Si ſunt propoſitiones convertibiles, certe per manifeſtationem durante Chriſti vitæ curriculo in Terris non abſolvitur veritas utrinque applicabilis, quæ tamen ante initium ſtatus exaltationis, ut realiter exiſtens, declarabatur.

Non poteſt non hac occaſione in mentem venire effatum Pauli ad Philip. II, 6.7. Ibi *μοϱφὴ τῦ Θεῦ* directe opponitur *μοϱφῆ τῦ δὔλυ ἐν ὁμοιώματι τῦ ἀνθϱώπυ*, *forma Dei formæ ſervi in ſimilitudine hominis.* Nec Arianus, nec Socinianus negat, formam hominis denotare naturam humanam in ſervitute. Ergo oppoſitum denotat divinam naturam ſecundum regulam oppoſiti. Non cenſuit filius Dei, æqualitatem cum Deo rem eſſe, quam rapere liceret. Filius potue-

rit, at noluerit ſe gerere ut æqualem Deo; ſed ſemetipſum humiliavit. Nulla alia gloria hìc intelligi poteſt, quam ea, quam habuit ab æterno; altera enim demum in exaltatione data eſt. Si intelligitur gloria miraculorum, tunc etiam Prophetæ & inprimis Apoſtoli, qui ſecundum Joh. XIV, 12. majora patrarunt, Deo æquales fuiſſent. Ἶσα Θεῷ ſignificare quamcunque ſimilitudinem, ubi nos futuri ſimus ὡς ἄγγελοι, Matth. XXII, 30. eſt figmentum. Ens enim creatum per promotionem ſimile fieri enti poteſt creato perfectiori, nunquam Creatori, à quo Creatura eſſentialiter diverſa eſt & in æternum erit. Tibi ſalvatori à dextris patris ſedenti & clarificato claritate, quam apud ipſum habuiſti prius, quam mundus fieret, ponat Jehovah inimicos tuos, malitioſe ingratos, ſcabellum pedum tuorum.

Ad Tertium provolamus,

Veram Filii & Spiritus Sancti Deitatem probaturi & ad objectiones adverſariorum reſponſuri.

Superflua eſſe viedentur dicta veteris Teſtamenti ob clariorem revelationem hujus myſterii in novo Teſtamento. At ne obliviſcamur Judæorum, afferenda ſunt. Caute autem

tem mercandum, ne incurramus in cenſuram Judæorum & baptizatorum Ethnicorum, ut prioribus dicta proponamus, ipſis etiam ſecundum ſua principia irrefutabilia, poſteriorum vero ignorantia œconomiæ divinæ ſua culpa culpabilis eo magis illuceſcat. Omnes enim conſentiunt, ſtante exiſtentia ſecundæ perſonæ in Deitate per eandem intelligendum eſſe Meſſiam in veteri Teſtamento promiſſum, & nomine filii Dei in novo Teſtamento inſignitum.

Præmittamus de æterna generatione filii Dei ex veteri Teſtamento dicta ex Pſ. II, 7. & Michæ V, 1. In priori, *filius meus es tu, hodie te genui, dixit Jehovah.* Hodie de miſſione in Tempore non poteſt intelligi, quæ poſt demum facta eſt. Ergo in hoc dicto Filius, ut Deus, à patre generatus eſſe dicitur. Specioſe quidem opponunt adverſarii: Citari hunc locum Act. XIII, 33. & explicari ibi de reſurrectione Chriſti ex mortuis. Generationem ideo ſic intelligendam eſſe, quod, quoniam Deus mortuum ad vitam revocaverit, eundem quaſi denuo generaverit. Protuliſſe Davidem hæc verba Spiritu Prophetico, quo ut præſentia ſiſtuntur etiam diu poſt futura. At reſpondemus negando,

tum

tum demum Jeſum evaſiſſe filium Dei; ſed tum demum coram oculis univerſi mundi demonſtratum fuiſſe Chriſtum, ut filium Dei, quoniam in alio hoc miraculum Deus non fecerit, & articulus de reſurrectione confirmaverit & coronaverit omnem doctrinam Chriſti & Apoſtolorum. Hanc explicationem Paulus affert ad Roman. I, 4. ὁρισθεὶς, *declaratus, conſtitutus eſt filius Dei ex reſurrectione mortuorum.*

Iterum Mich. V, 1. clare poſita ſunt verba: *Ex te*, ſcilicet Bethlehem, *mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Aperte diſtinguuntur duæ generationes, altera humana in Bethlehem, altera divina, ab antiquo, à diebus æternitatis, quæ ſane ad nativitatem humanam non poſſunt applicari. Excipiunt quidem adverſarii: Utique agi de eadem nativitate: Non enim extare in Textu, cujus exitus FACTI SINT ab antiquo, ſed indeterminatum relinqui; ergo ſuppleri poſſe per deſtinationem decretam: Exitus Chriſti è Bethlehem decretus fuit ab æterno à Deo, ut fieret in Tempore, uti regnum fuit paratum fidelibus à fundamento mundi. At reſpondemus interrogando: Quomodo, quæſo, exponendum eſt ſuffixum

ו &

ו & præfixum ו in ומוצאתיו, & exitus ejus, ſi nulla adeſt determinatio in hac voculata relativa? Et quis non videt, adverſarios hoc modo impudenter inſervire hypotheſi?

Luctator Geneſ. XXXII, 28. Collato Hoſ. XII, 3. 4. eſt Deus, ſeu perſona divina. Verba ſic ſonant: *Nequaquam Jacob appellabitur deinceps nomen tuum, ſed potius Iſraël, quia luctatus es cum Elohim & hominibus & prævaluiſti.* Hosæas allegat hunc paſſum his verbis: *Virtute ſua luctatus eſt cum Elohim, & luctatus eſt cum angelo, eumque ſuperavit flevit & precatus eſt eum.* Tranſeat mentio numeri pluralis Elohim & hominum, quamvis emphatice poſita. Quis vero & Judæorum & Chriſtianorum affirmaverit, Jacobum angelum adoraſſe, & flendo ab illo benedictionem deprecatum eſſe, & creatum angelum ipſi roganti revera benedixiſſe, & propter hunc actum nomen ipſius, uti factum eſt, modo majeſtatice-divino mutaſſe. Violentia quædam adſuit ad inſtar amoris patris erga filium. Lachrymæ & preces prævaluerunt apud Deum ob amorem erga fidem hominis etiam angelis mirandum.

Exod. XXIII, 20. 21. ait Jehovah: *Ecce, Ego mit-*

tam angelum meum —— *Obſerva eum*, *&* *audi vocem ejus*, *ne exacerbes eum*, *quia non condonabit prævaricationes*, *nam Nomen meum eſt in intimo ejus.* Sponte dimanant duo argumenta ad exiſtimationem impartialium. In cujuſcunque poteſtate & voluntate ſitum eſt vel punire vel remittere peccata provocantis inobedientiæ, ille agit ut Deus, non ut legatus Dei ſecundum unanimem conſenſum Judæorum tum tempore Chriſti Marc. II, 7. tum hodie viventium: *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Porro: In quocunque eſt nomen Dei, in illo eſt ipſa eſſentia Dei. Exod. III, 14. Deus vocatur אהיה אשר אהיה *ero, qui ero* & ſimpliciter אהיה *ero*, & verſ. 15. ſubjungitur nomen eſſentiale Jehovah, quod vulgo transfertur, Eſſentiator. Hoc autem nomen tribuitur Meſſiæ Jerem. XXIII, 6. Uti mox videbimus. Nomen etiam in genere denotare nominatum Genio Sacræ Scripturæ convenit. e. g. Deut. XXVIII. 58. *Niſi timueris nomen glorioſum & terribile hoc, Dominum Deum tuum.* Pſ. CXV, 1. *Nomini tuo da gloriam.* Eſaj. XXX, 27. *Nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus.* Denique Eſaj. XLII, 8. *Ego Jehovah, hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* Cum hoc

effato

Digitized by Google

effato divino quis reconciliabit verba: *Nomen meum eſt in intimo ejus*; & ſententiam Chriſti in novo Teſtamento Joh. V, 23. *ut omnes honore afficiant filium, ſicut in honore habent patrem.* Quæ omnia certe ad angelum creatum ſine blaſphemia applicari nequeunt.

Jerem. XXIII, 5. 6. dicit Jehovah: *Suſcitabo Davidi Germen Juſtum, & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Jehovah, Juſtitia noſtra.* Judæus nil habet, quod regerere poſſit, quia ipſe affirmat, germen Davidis, uti virgulam de radice Jeſſe Eſaj. XI, 1. eſſe Meſſiam, & nomen Jehovah eſſe nomen eſſentiale nulli Creaturæ communicabile. Eſt manetque ergo argumentum ex hoc dicto deſumtum eruditiſſimo Judæo irrefutabile. Sociniani ajunt, nomen Jehovah eſſe quidem incommunicabile ſenſu recto, at non ſenſu obliquo, quo poſſit adjungi creaturis. Nunquam autem ſuppetunt loca, quibus hæc aſſertio probari queat. Malitioſe ergo agunt, uti moris eſt apud illos.

Fortaſſis autem ſemi-fultus inſurget quæſtionem proponendo: Quamvis hæc dicta ex veteri Teſtamento ſua cla-

Digitized by Google

ritate radient; cur Deus Judæis non eadem claritate, qua in novo Teſtamento uſus eſt, ergo majori, quam dicta allegata afferunt, revelaverit myſterium Trinitatis? Reſpondemus: Patriarchæ evangelizantes ſine dubio hunc articulum propius inſpexerunt, uti CHRISTUS ait Joh. VIII, 56. *Abraham, pater veſter, exultavit, ut videret diem meum & vidit & gaviſus eſt.* Exulante autem divina natura nil gaudii nec ſolatii peti poterit à ſatisfactione meri hominis, quia ipſum argumentis à ratione deſumtis refellere poſſumus. Sic etiam Jacobus vidit hunc diem ſecundum antecedentia. Davidi certe penitus cognitus fuit Dominus ſuus, quem allocutus eſt JEHOVAH: *Sede à dextris meis; Tu es filius meus, hodie te genui.* Et, *multi Prophetæ & reges voluerunt videre & audire, quæ Apoſtoli viderunt & audierunt.* At apud poſteros Patriarcharum, ſcilicet Iſraëlitas in genere, diſtingue tempora & concordabit ſcriptura. Poſteri ipſorum invidia ſatanæ tenebantur crimine idololatriæ obſtricti & quam maxime erant ad polytheiſmum proni, imo ſceleſte viventes. Nonne perverſe uſi fuiſſent myſterio ſalutari ipſis clariſſime explicato? Immutabilis ergo Deus noſter egit pro ratione objecti, & ita re-

revelavit myſterium Trinitatis, ut attendentes ad verbum Dei habeant, ex quo ſummam voluptatem capere, atque in fide ſemet ipſos firmare poſſint: Malitioſe increduli autem, qui & hodie, cum Chriſtus jam multo ante palam enunciaverit de patre ſuo, in veritatem ſole meridiano clariorem reſpuunt, abeant ad progeniem patrum ſuorum, & uſque in æternum non videant lumen.

Ad novum Teſtamentum. Joh I, 14. Christus vocatur *unigenitus patris*. Concedunt Sociniani, eſſe aliquid ſupereminens in Chriſto, quare peculiari modo vocetur Dei filius, & tamen negant æternam generationem. In hoc autem dicto deſcribitur gloria Chriſti, ut unigeniti. Non poſſunt dicere, unigenitum denotare eum, qui præcipue diligitur; nimis ita â vi vocabuli, gignere, nativa reſilirent; nec filium Dei unigenitum, quoniam â ſpiritu ſancto in tempore ſit progenitus. Nam ita & Adamus immediate â Deo eſt productus; nec unigenitus Dei hoc ſenſu poſſet appellari Chriſtus.

Salvator vocatur *Deus* Joh. I, 1. dicitur *eſſe in*

 for-

forma Dei Phil. II, 6. ut ſupra jam explicando indicavimus. Iterum *Deus* Act. XX, 28. *Deus magnus* Tit. II, 13. *Deus verus* I. Joh. V, 20. *Dominus Deus* Luc. I, 16. *Dominus omnium* Act. X, 36. *Dominus gloriæ* I. Cor. II, 8. *Deus ſolus ſapiens. Epiſt.* Judæ verſ. 25. *Rex regum* Apoc. XVII, 14. *ſuper omnia Deus benedictus in ſecula* Rom. IX, 5.

Coacervatione hujusmodi dictorum demonſtrantium multi antitrinitariorum compelluntur, ut concedant, Chriſtum in Sacra Scriptura revera vocari Deum, quare etiam preces ſuas ad eum dirigant, quod absque crimine idololatriæ facere non poſſent, ſi merus homo eſſet. At in malitia ſe obſirmantes aſſerunt, non eſſe Deum ab æterno, ſed in tempore factum. Poſſe hoc nomen competere ei ob ſummam ſupereminentiam ſuper omnes creaturas & maxima dona â Deo in illum collata, quæ ſecundum Arianos accepit in tempore quidem, ſed ante fundamenta mundi, ſecundum Socinianos autem poſt aſcenſum in cœlum potiſſimum. At Deus factus quid eſt? Contradictio. Ei non poſſunt competere perfectiones omnes, quæ Deo competunt, ergo nec nomen Dei.

Ela-

Elatis animis adverſarii proponunt dubium ex Epiſtola ad Coloſſ. I, 15. depromptum ubi nomen, *πρωτότοκος πάσης κτίσεως*, *primogenitus omnis Creaturæ*, ipſis videtur eſſe oppoſitum nominis eſſentialiter divini. Sed alacritate animi quadam ſenſibili reſpondemus: Aut hæc phraſis accipitur ſenſu phyſico aut ſpirituali. Si prius, tunc dicitur primogenitus, non primo creatus á verbo *τίκτω*, pario, gigno, non á verbo *κτίζω*, creo, unde *κτίσις*, creatio & creatura, quæ ſignificatio tantum competit voci poſteriori *κτίσεως*. Generatio ergo antecedit omnem creationem. Mundus autem creatus eſt non in tempore ſed cum tempore. Ergo ſecundum notiſſimum idioma linguæ judaicæ ante creationem exiſtere idem eſt, ac in æternitate abſoluta exiſtere. Si totum ſumitur ſenſu ſpirituali, uti verba Eſaj. LXVI, 8. *Parturivit & peperit Zion filios ſuos*, & Jacob. I, 18. *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut ſimus primitiæ aliquæ creaturarum ejus:* Tunc in nexu Paulus ipſe mentem ſuam explicat, quando Chriſtum vocat in eodem capite ad Coloſſ. I, 18. *principium & primogenitum ex mortuis*, i. e. principalem cauſam efficientem reſurrectionis mortuorum ſecundum ebraiſmum Hiobi XVIII, 13. ubi ſubpri-

primogenito mortis aperte intelligitur morbus acutiſſimus & inſanabilis: Sicè contrario primogenitus ex mortuis eſt mors mortis & cauſa efficiens reſurrectionis mortuorum. Unde Chriſtus etiam vocatur *primogenitus mortuorum* Apoc. I, 5. & Rom. VIII, 29. ſecundum nexum verſuum ſequentium ſub *primogenito in multis fratribus* aperte intelligitur cauſa ſalutis multorum fratrum. Nonne hac occaſione ſponte ſuccurrit nomen *auctoris & conſummatoris fidei*, Ebr. XII, 2.? Hæc autem omnia ad ſenſum phyſicum applicabilia eſſe non negabit verba immediate antecedentia Coloſſ. I, 16. 17. & verſui decimo quinto, ubi de primogenito omnis creaturæ ſermo eſt, annexa ſeria mente ſecum ponderaturus: *In ipſo condita ſunt univerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inviſibilia, throni, dominationes, principatus, poteſtates. Omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes & omnia in ipſo conſtant.* Et Johannes I, 3. ait: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Nonne diſpaleſcit, Chriſtum eſſe principalem cauſam efficientem omnis creationis, & Paulum per primogenitum omnis creaturæ nil aliud voluiſſe denotare. Creator eſt certiſſimus character veri Dei. Si

Chri-

Digitized by Google

Chriſto tribuitur, non ultra, quo jam progrediatur, habet ſpiritus finitus, quia omnes noſtras ideas de potentia & perfectionibus divinis petimus ab opere creationis. Sublimius & altius naturalis ſpiritus finitus nil meditari poteſt, quam creationem cum providentia conſervante per omnia ſecula conjunctam. Quid majus ergo de Chriſto dici poterit, quam quod creaverit omnia, & quod omnia in ipſo conſtent? Legitima conſequentia plana & ſimplici exinde fluit, ipſum eſſe verum Deum.

Mordaci ſtylo alii contendunt, omnia loca, in quibus nomen Θεὸς Chriſto tribuitur, eſſe corrupta, quia in iis omnibus variantes lectiones reperiantur, ergo alio modo explicanda. E. g. contra I. Tim. III, 16. *Θεὸς manifeſtatus eſt in carne;* ſine dubio freti auctoritate codicis vulgati, excipiunt: Plurima exemplaria loco Θεὸς legere ὅ, quod myſterium; cum Omicro & Thita facile confundantur; ut ergo ſenſus ſit: Citra controverſiam magnum eſt pietatis myſterium, quod manifeſtatum eſt in carne &c. At totum verſum perfecte tranſlatum perlegere idem eſt ac refutare: *Citra controverſiam ma-*

gnum eſt pietatis myſterium: Deus eſt manifeſtatus in carne, juſtificatus eſt in ſpiritu, apparuit angelis, prædicatus eſt gentibus, creditus eſt in mundo, aſſumptus eſt in gloria. Myſterium in carne manifeſtatum apparuit angelis & aſſumptum eſt in gloria. Quæ, qualis, quanta malitia adverſariorum myſterii incarnationis!

Porro clariſſimum dictum, Joh. I, 1. audaci modo corrumpunt, arguentes, vitium ibi hærere & antiquitus lectum fuiſſe, *ὁ λόγος ἦν τȣ̃ Θεȣ̃*, non, *ὁ λόγος ἦν ὁ Θεὸς*, Verbum erat Dei, non, Verbum erat Deus. Per *λόγον* enim Chriſtum intelligi non negant.

Actor. XX, 28. affirmant, multa exemplaria loco *ἰδίȣ* legere *κυρίȣ*, aut ſic transponendum eſſe vocabulum, *διὰ αἵματος τȣ̃ ἰδίȣ*, per ſanguinem proprii filii.

Joh. XX, 28. dicunt, eſſe exclamationem apoſtrophicam admirantis Thomæ, quaſi diceret: Bone Deus! Quid hoc ſibi vult?

Ad Luc. I, 16. *Johannes multos convertet ad Deum, Dominum eorum;* reſpondent, mediate per Chriſtum ad Deum.

I. Joh.

I. Johan. V, 20. verbum οὗτος referendum eſſe cenſent non ad immediate antecedens, ſed ad mediate præcedens vocabulum patris, non filii, quia in ſacra ſcriptura ſæplus pronomen relativum ad mediate antecedens referatur.

Romanor. IX, 5. *Chriſtus Deus benedictus* vocatur. Excipiunt adverſarii: In multis manuſcriptis vocem Θεὸς omitti; nunquam Paulum vocaſſe Chriſtum Deum; eſſe δοξολογίαν adjunctam; punctum eſſe ponendum poſt σάρκα, vel verba ita eſſe vertenda ὧν ὁ Θεὸς, quorum, ſc. Judæorum Deus ſit benedictus.

Reſpondemus autem 1) cur ea lectio varians ſemper eſt præferenda, quæ tollit Deitatem Chriſti? Ex critica, parallelismo reali exegetico, ſcopo auctoris & connexione antecedentium & conſequentium variantes lectiones ſunt dijudicandæ, non autem ex ſimplici Theologia dogmatica, quam quilibet ad normam ſuæ hypotheſeos formare poteſt. 2) Quid reſpondendum eſt iis, qui libidinoſe addunt vel detrahunt ſacræ ſcripturæ; â literali ſenſu verborum, qui tamen aliâs ſanctus eſſe debet, recedunt, & torquent eundem in ſuam ſenten-

 tiam?

tiam? Hac methodo ab inepte luxuriantibus ingeniis omnia, imo primæ veritates naturales perverti poſſunt. 3) Quid ad nos allegatio variantium lectionum in hac materia? Facile eſt creditu, quam plurima errata irrepſiſſe in deſcriptiones ſacri codicis. Nonne autem eo ipſo ſtrenua eſt ſuſpicio ad Arianos & eorum poſteros Socinianos, tantum ſimulatione & oſtentatione ſublimiores, (uti noſtri Deiſtæ ſunt poſteri Atheorum;) Nonne, inquam, ad Arianos & eorum poſteros eſt ſtrenua ſuſpicio, ipſos fuiſſe, & adhuc quavis occaſione eſſe mutilatores & arrogantes correctores textus ſacri, quia ſecundum propriam ipſorum confeſſionem præciſe ea dicta vario modo legantur, ubi Chriſtus vocatur Deus, quod numerum exemplarium conſiderando ſucceſſive tantum fieri potuit: Cum veri chriſtiani ſolis nominibus non inhærebant, ſed ex divinis attributis & operibus ac Vaticiniorum eventu ad oculum demonſtrabili innumera argumenta hauriebant. Noſtra ætate Typographi duo conjunctis ſumtibus biblia imprimenda curarunt, in quibus Romanor. VIII, 32. vox πάντων aperte omiſſa eſt; ſine dubio non ex errore Typographi. Quid ſolatii jam petendum eſt â malitia hoſtium Deitatis Jeſu Chriſti

Chriſti ſatis ſuperque nota ? Provocamus ad querimonias primæ eccleſiæ á Socrate annotatas & in vindiciis dicti Johannei de Trinitate ſupra citatas.

Spiritus Sanctus eſt verus Deus. Omnia in antecedentibus allegata argumenta de Trinitate etiam Deitatem Spiritus Sancti ſatis ſuperque demonſtrant. Breviſſimis ergo adjungenda erit ſpecialiſſima recitatio argumentorum ad probandam Deitatem Spiritus Sancti maxime idoneorum, annexa tamen refutatione quorundam dubiolorum ab adverſariis ſciolis propoſitorum.

Pnevmatomachus tot armatis non pugnat, quot ἀντίχρισος theſi noſtræ reſiſtit. Ratio eſt in aprico. Sublata redemptione idea ſanctificationis corruit. Principalis attentio Satanæ ſemper directa fuit ad conterentem caput ſerpentis, ne mereatur & diſtribuat dona Spiritus Sancti chriſtianis ſumme neceſſaria. At Spiritu Sancto inſpirati homines ſancti locuti ſunt etiam de Deitate Spiritus Sancti. Apud illos enim vocatur Jehovah, Deus, Dominus; accedunt attributa divina, opera divina, & cultus divinus in ipſius honorem ſa-

ciendus, quod in omnibus compendiis & ſyſtematibus oſtenditur, & forma baptiſmali, cui contradici nequit, confirmatur. His ergo præſuppoſitis ad duo argumenta adverſariorum ſolummodo reſpondemus: 1) An Spiritus Sanctus etiam procedat â filio? quod negant adverſarii. 2) An in Sacra Scriptura perſonaliter diſtinguatur â patre?

Noſtri Theologi prius inde probant; quia Spiritus Sanctus æque vocatur Spiritus Filii, uti Spiritus Patris, & mittitur â filio. Comprobante ergo experientia hanc regulam, in divinis ratam & firmam habentes, applicant: A quo quis mittitur, ab eo etiam procedit. Hinc filius non mittitur â Spiritu Sancto, quoniam non ab eo, ſed â ſolo patre procedit & generatur. Non autem Spiritus Sanctus tantum mittitur, ſed accipit Joh. XVI, 13. 14. *Spiritus ex meo accipiet & annuntiabit vobis.* A quo quis accipit ſcientiam in Deitate, ab eo procedit. Atqui accipit Spiritus Sanctus â filio. Ergo â filio procedit. Nulla etiam eſſet interna diſtinctio inter Filium & Spiritum Sanctum. Eſſent unum idemque, nam ab eodem patre haberent eſſentiam. Ordo ſacræ

ſacræ ſcripturæ etiam id probat; ſemper enim & in omnibus locis Spiritus Sanctus ſubjungitur filio. Afferat rationem aliam adverſarius, quam proceſſionem à filio. Duo principia Spiritus Sancti hinc exiſtere eſt figmentum. Una actione procedit Spiritus Sanctus à patre & filio, uti mundus creatus eſt à tribus perſonis, ſed unica tantum creatione. Simile hoc ab opere ad extra deſumtum & ad opus ad intra applicatum non ſpernendum eſſe cenſemus.

Perſonaliter diſtinguitur Spiritus Sanctus à patre, I. Joh. V, 7. ubi abſurda diceremus: Pater teſtatur & ipſius dona teſtantur. Roman. VIII, 26. 27. *Spiritus pro nobis intercedere dicitur.* Hæc interceſſio patri ſane nequit adſcribi, quia non poteſt fingi intercedere apud ſeipſum. Joh. XVI, 13. *Non loquetur à ſeipſo, ſed quæcunque audierit, loquetur.* Quis unquam patri hoc tribuet? Pater omnia à ſeipſo loquitur. Quomodo poſſet dici, ea loqui, quæ audit, cum omnia à ſeipſo operetur? Diſtinguuntur etiam dona gratiæ ab ipſo dante ſpiritu, ſi I. Cor. XII, 11. *Omnia dona ab eodem ſpiritu provenire* dicuntur, *ut diſtributa, prout vult.*

Abrum-

Digitized by Google

Abrumpamus filum, in tractatione totius materiæ, (ut verbis præceptoris olim noſtri eruditiſſimi utamur,) denſas diſtinctionum ſylvas & abruptas abſtractionum rupes vitaturi, ac oſtendere contenti, quam elumbia ſint ſæpius modernorum arma, quibus receptas de rebus divinis opiniones adgrediuntur, nec peccare, quicunque iis ſubinde illud Pauli applicent: *φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν. Putantes, ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Da ſie ſich weiſe hielten, ſind ſie zu Narren worden*, Rom. I, 22.

Ad Quartum

ergo progrediamur, breviſſimis Quæſtionem practicam de credendo vel non credendo hunc articulum ſoluturi: Utrum myſterium Trinitatis ad ſalutem æternam obtinendam creditu ſit neceſſarium, nec ne?

Mittamus illa objecta extra eccleſiam, quæ ob ſolum defectum prædicationis Evangelii malitioſe increduli non ſunt. Certiſſime enim, ut repetamus quædam verba orationis nuper habitæ, eſt opus omniſcientiæ & juſtitiæ perfectiſſimæ, ideoque divinæ, quando *Deus adducet in judicium omne occultum*,

tum, ſive ſit bonum, ſive malum, imo conſilia cordium, & quidem ita judicabit, ut & damnati & diaboli nil habeant, quod regerere poſſint, tam quoad ſententiam credentibus in Chriſtum, quam ob defectum prædicationis Evangelii non propria culpa incredulis, attamen ſecundum dictamen rectæ rationis rite viventibus, latam. Aliâs juſtitia divina non manifeſtaretur perfectiſſime. Criſtæ certe, ignominia humanitatem notantes, illi ſurgerent, qui Deum adjuvare velit in opere ipſi ſoli competenti. Omnis, inquirens in modum creationis ex nihilo, vult fieri novus creator, quia ſcientia creandi aliquid ex nihilo ſupponit creatorem. Sic omnis, diſputans de æterno fato credentium & non credentium, neglecta varietate circumſtantiarum, quoad interna imperſcrutabilium, ſuo concipiendi modo eſt judex præſumtivus in judicio extremo; quem conceptum deteſtamur.

Interim ſcimus, *quod impoſſibile ſit, placere Deo ſine fide. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & præmia largiri illis, qui exquirunt eum.* Si hæreat, nec ſciat, quo ſe vertat quiſpiam in materia de modo procedendi, abeat ad

F Cor-

Digitized by Google

Cornelium, Deum recto pectore exquirentem, & audiet, præmia, prædicatione evangelii de remiſſione peccatorum per Jeſum Chriſtum omnibus numeris abſoluta, omni Deum exquirenti eſſe proponenda & propoſita.

Nihil autem impedimenti intercedit, quo minus illis, qui ſunt in eccleſia, dicamus: Licet modus cognoſcendi, quomodo una Dei eſſentia ſingulis tribus perſonis adæquetur, ut quælibet ſit adæquate Deus, illiquidus ſit, ipſa tamen veritas negari non poteſt ſine diſpendio ſalutis ſecundum effatum Chriſti, Joh. VIII, 24. *Si non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccatis veſtris.*

Sine remiſſione peccatorum juſtificatio cogitari nequit. Atqui ſine redemtione & ſatisfactione non datur remiſſio peccatorum. Qamvis enim actus juſtitiæ ſint liberi, tamen non indifferentes ſunt, ſed determinantur á ſapientia. Ab æterno Deus voluntatem puniendi malum habuit, ſed non exercitium. Eſſentiale eſt attributum juſtitia, uti bonitas. Miſericordia & juſtitia non ſunt oppoſita, quia prior radicata eſt

eſt in Chriſto. Deus remunerat nos in Chriſto, remunerat pro rationi objecte; perfecte enim meruit Chriſtus.

Sine ſanctificatione Deum videre impoſſibile eſt. Quis autem meditabitur ſanctificationem ſine ſpiritu ſanctificante?

Quis unquam ſine redemtione & ſanctificatione vocationem & electionem firmam faciet? Ergo myſterium Trinitatis ad æternam ſalutem acquirendam ſcitu neceſſarium eſt.

Nec tamen de gradibus hoc intelligendum eſſe cenſemus, ſi quis non præciſe ſummum amorem Dei in miſſione filii intellexerit. Nullum dubium, quin alius atque alius alio atque alio gradu cognitionis eminentiori de hoc amore ſentiat. Creſcimus in hac cognitione.

Interim audito evangelio non exquirentibus Deum, utrum alia adhuc pro peccatis hominum hoſtia exiſtat, quam Jeſus Chriſtus, & ab ingenio non improbis, at ſocordia malitioſa torpeſcentibus, ideoque poſt acceptam notitiam veritatis voluntarie peccantibus jam non relinquitur pro pecca-

Digitized by Google

tis ulla hoſtia, terribilis autem quædam expectatio judicii & ignis æmulatio, quæ conſumtura eſt adverſarios. Tandem,

Quinto

in memoriam anni ineuntis pia Vota enunciaturi & fauſta quævis à Deo Trino erimus expetituri.

Servet SACRO SANCTA TRINITAS, TE, PRINCEPS CLEMENTISSIME! ſervet in annos multos; ſervet incolumem, atque ex omni parte beatum & felicem. Jubeat, ut res omnes, tam publicæ, quam privatæ, TIBI proſpere & ex votis ſuccedant. SERVET SERENISSIMAM TUAM CONJUGEM. Servet valetudinem omnem ſemper ſalvam & in hoc illuſtriſſimo conjugio inconcuſſam. Servet PRINCIPEM HAEREDEM, imo TOTUM TRIFOLIUM PRINCIPUM optima promittens, atque in iis ſpem patriæ ampliſſimam, exoptatiſſimam, deſideratiſſimam. Servet SERENISSIMUM REGNANTEM BADENSEM, innovato fraternitatis vinculo junctum. Servet SERENISSIMAM IPSIUS CONJUGEM. Servet & reliquos PRINCIPES SE-

Sereniſſimos, & pro ea, qua nos indignos complexus eſt, miſericordia largiatur, ut ſuo ſemper flore Domus Badenſis gaudeat, vigeat atque perennet.

Denique Patres Conſcriptos in Senatu Sanctiori & Dicaſteriis, ut fulcra reipublicæ eccleſiaſtico-politico-literariæ, Ephoros & docentes, Rectorem, Profeſſores atque Præceptores, nec non diſcentes auditores, ſtudioſos, pubemque omnem ad univerſitates, & bonum publicum in genere, præparandam, benedictionis & gratiæ ſuæ omnigenæ copiâ affatim & ſemper beet Sacro Sancta Trinitas, & ad afferenda Gymnaſio huic Illuſtri incrementa glorioſa faciat, ut ſcientia, pietate, modeſtia & virtute omni; ut præſtantiſſimis viris docentibus, omni voce initium ſapientiæ, timorem Dei & modum accedendi ad Thronum gratiæ, noſtra ætate ſæpe inacceſſum, ſincera mente inculcantibus; ut fama inſigni; ut dote ſemper ampla & ſufficiente, imo abundante; ut multis & egregiis membris Societas hæc literaria docentium & diſcentium ſplendeat, floreat, augeatur & creſcat aſſiſtente

Spiritu Sancto per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. SACROSANCTÆ TRINITATI ſit gloria, honor & imperium in omne ævum.

A M E N.

9935713

Digitized by Google

47

Digitized by Google

A.112.14
Z

Digitized by Google

Digitized by Google